



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs XIV. De ætate, & qualitate, & ordine præficiendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITULUS XIV.

DE ÆTATE, ET QUALITATE, ET ORDINE PRÆFICIENDORUM.

§. I.

De qualitatibus requisitis in promovendis ad beneficia, præsertim curata in genere.

EX dictis jam patet, quod in omnibus promovendis ad beneficia requiratur, scientia conveniens officio, morum honestas, & legitima ætas, prout etiam patet ex c. eam te 4. h. t. ita tamen, ut qui dignus & idoneus censetur ad sacros ordines suscipiendos, regulariter etiam idoneus censendus sit ad beneficium Ecclesiasticum, prout sumitur ex c. accepimus 13. h. t. (nisi post ordinationem, nova primùm causa superveniret, quæ indignum ad beneficium legitime ordinatum faceret) neque talis pro ordinibus ab Episcopo examinatus, iterum ab eodem pro beneficio (cæteris paribus) est examinandus, nisi ratio & qualitas beneficii majorem idoneitatem requiratur.

§. II.

Quæ ætas requiratur in præficiendis, seu promovendis ad beneficia Ecclesiastica, & quis in illa dispensare possit?

Quamvis de jure naturali illa ætas ad beneficium requiratur, quæ necessaria est, ad exequendum officium, propter quod illud datur, prout sumi potest Compend. Pirhing.

ex c. 3. h. t. de jure tamen positivo certa ætas ad pleraque beneficia statuta est, ita ut ipso jure nulla sit collatio beneficii, ante requisitam ætatem facta. Requiritur autem certa ætas nonnunquam per se, & directè, prout beneficium curatum exigit, 24. annos completos; nonnunquam per accidens, & consecutivè, prout ad Canonicatum illa ætas requiritur, quam requirit ordo Canonicatus tali annexus. Differunt quidem in plerisque jus antiquum, & jus novum Tridentini; hodie tamen, ubi Tridentinum peculiare quid à jure antiquo statuit, sequimur jus Tridentini, ita tamen, ut salutum maneat jus antiquum, ubi Tridentinum nihil peculiare statuit. Sic primò ad Cardinalatum, & Episcopatum requiritur ætas 30. annorum completorum, prout sumitur ex Trident. sess. 24. c. 1. de refor. secundò ad dignitates, & personatus, quibus nulla animarum cura subest, volunt aliqui de jure antiquo 14. annum sufficere c. indecorum 3. h. t. Alii volunt requiri 25. annos saltem inchoatos c. cum in cunctis 8. inferiora de elect. & c. uni. h. t. in 6. juxta Tridentinum tamen, quod hodie observari debet, sufficiunt, & requiruntur anni 22. completi, sive dignitates illæ & personatus sint Ecclesiarum Cathedralium, sive Collegiarum, cum jura universaliter loquantur. Terriò: ad Ecclesias Parochiales, & Vi-



& Vicarias perpetuas Ecclesiarum Parochialium requiritur aetas 25. annorum, saltem inchoatorum, ut patet ex c. nemo 15. de elect. in 6. & ex Clement. uni. de offi. Vicar. 3. quae aetas non requiritur in eo, cui Ecclesia Parochialis administranda seu in commendam conceditur. Penitentiarius tamen in Ecclesiis Cathedralibus debet esse annorum 40. juxta Conc. Trident. sess. 24. c. 8. de reform. 4. Ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium de jure Trident. sess. 24. c. 12. de reform. (quidquid sit de jure antiquo) requiritur illa aetas, quam Ordo Canonicatus annexus requirit; & cum in nostra Germania tales Ordines per se annexi non sint pluribus Canonicatibus, nisi vocem velint habere tales Canonici in Capitulo, hinc sicuti ad Canonicatus Ecclesiarum Collegiarum, & aliorum beneficiorum simplicium, sufficiunt 14. anni, saltem inchoati, ita hi videntur etiam sufficere in nostra Germania ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium; quod videtur etiam probari posse ex Trident. sess. 23. c. 6. de reform. ex quo Concilio sess. 24. c. 12. de reform. etiam habetur, quod Episcopus dispensare non possit super aetate ad obtinenda beneficia requisita, nisi certa aetas ad obtinendum beneficium ex peculiari tantum diocesis v. g. statuto requiratur, aut si aetas certa tantum requiratur ratione ordinis tali beneficio annexi; sicuti etiam in statutis à se vel ab antecessore suo factis dispensare potest, & sicuti dispensare potest in ordine per accidens requisito, ita potest etiam in hoc statuto super aetate requisita.

## §. III.

Qua scientia in promovendis ad dignitates, & alia beneficia Ecclesiastica sit necessaria?

IN genere dici potest, quod ea scientia requiratur, quae ad officium beneficium annexum ritè obeundum necessaria est; qua si caret illiteratus, etiam acquisitis beneficiis privandus est c. fin. h. t. & si penitus illiteratus sit, ipso jure est nulla beneficii collatio, prout etiam patet ex Canone primo dist. 36. & quamvis spectato jure communi antiquo non requiratur ad ullum beneficium gradus aliquis Doctoratus vel Licentiae, ex decretis tamen Concilii Trident. debet esse Doctor vel Licentiatas Theologiae aut juris Canonici, inprimis Episcopus (vel saltem publico Academiae alicujus testimonio, aut aliter idoneus ad alios docendos, quod etiam de aliis intelligi debet) sess. 22. c. 2. de reform. Secundò Archidiaconus (Principalis Ecclesiae Cathedralis, si curam animarum, & jurisdictionem fori externi contentiosam habeat, quae hodie plerumque Vicario generali competunt) sess. 24. Trident. c. 12. §. Archidiaconi. Tertio Scholasticus, si per se ipsum munus id expleat sess. 24. c. 8. Et quinto denique Vicarius vacante sede eligendus, sess. 24. c. 16. quia ad hoc etiam c. 12. hortatur Trident. ut in Provinciis, ubi commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis in signibus, conferantur tantum Magistris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia vel jure Canonico.

## §. IV.



## §. IV.

Quae vita, morumque probitas requiratur in promovendis ad beneficia?

**A**D morum, vitaeque probitatem quod attinet, promovendus ad beneficia primò criminofus esse non debet, (reus scilicet criminis, quod depositione dignum est, vel infamiâ notatur, aut censuram aut irregularitatem inducit, sive deinde a Iudicem per inquisitionem, sive per accusationem, aut denuntiationem crimen tale delatum sit) neque reus esse criminis cujuscunque gravis, publicè noti, ob quod delinquens aliorum offensionem incurrit, si tale delictum nondum publicè emendatum sit, *canon. unum 3. §. 1. junct. gloss. V. unde dist. 25.* Secundò non debet esse infamis, juris aut facti infamiâ, cum infamis portæ dignitatum (beneficiorum) non pareant *c. inter dilectos 11. de excess. Pralat. &* quamvis simplicis benefici collatio criminoso tali aut infami facta, non semper sit ipso jure irrita, nisi crimen illud annexam habeat censuram, aut irregularitatem, est tamen irritanda ab eo, qui potestatem habet; & si beneficium, quod taliter criminoso, aut infami collatum est, sit curatum, ipso jure irrita est collatio, uti colligitur ex *c. cum in cunctis, de elect. §. inferiora.* Tertiò nullâ censurâ aut irregularitate notatus vel impeditus esse debet *c. postulastis 7. de Cleri. excom.* ita ut collatio tali facta sit ipso jure nulla, quamvis denunciatus, aut vitandus non sit, cum his per *extravag. Concil. Constant.* nullus factus sit favor.

## §. V.

De ordine requisito in promovendis ad beneficia Ecclesiastica.

**Q**Uòd beneficia Ecclesiastica aliqua certos nonnunquam sacros ordines requirant, ex dictis jam patet, ita tamen ut eorum aliqua requirant ex statuto diocesano, v. g. ex fundatione &c. certum ordinem, qui actu habeatur, quando confertur tale beneficium; alia verò secundùm aptitudinem tantùm, ut scilicet ille, qui ad tale beneficium promoveretur, hoc suæ promotionis tempore habilis sit, & talis, ut intra annum possit sacrum illum ordinem, qui requiritur, suscipere, nisi justum aliquod impedimentum interveniret *c. cum in cunctis de elect. §. inferiora. Clement. 2. h. t.* Sic primò requiritur ad eligendum in Episcopum, ut sit actu Subdiaconus, cum eligitur. *c. à multis 9. h. t.* Et juxta *Trident. sess. 22. de refor. c. 2.* requiritur, ut in Episcopum eligi quis possit, fuisse enim 6. mensium spatio in sacro ordine constitutum, ita ut postulari prius quidem possit, non tamen eligi. Secundò in promovendis ad Ecclesiasticas dignitates, in Abbates scilicet, Præpositos, Decanos, & Archipresbyteros (si tamen à Decanatu distinguitur) quibus cura animarum, aut jurisdictio fori externi annexa est, requiritur, ut sint vel actu Presbyteri, vel saltem intra annum ordinari Presbyteri possint. *C. 1. h. t.* nisi legitimum impedimentum obstat, quod perpetuum non est, aut alia necessitas, vel utilitas Ecclesiæ aliud dispensativè fieri velit, uti colligitur ex *c. tuam 10. h. t.* Tertiò in promovendis ad Ecclesias Parochiales requiritur,

Q 2

ritur,



titur, ut saltem sint in minoribus constituti *c. pro Clericis 2. de prob. in 6.* qui intra annum à die, quo pacificam sui beneficii possessionem consecuti sunt, vel quo per ipsos stetit, quò minus consequerentur, computandum, possint in Presbyteros ordinari *c. licet 14. de elect. in 6.* Quartò in Canonicis simplicibus tam Collegiarum quàm Cathedralium Ecclesiarum, quamvis vocem in Capitulo habere non possint, nisi sint Subdiaconi, *Clement. 2. h. t.* ut promoveantur tamen ad hæc beneficia, ita ut stallum etiam in choro habeant, & alia possint, quæ fiunt extra Capitulum, in nostra Germania, sufficit, eos tantum primam tonsuram habere, non obstante *Trident. sess. 24. c. de refor.* quod in his partibus, quoad ibi statuta, circa Canonicatus tales non videtur receptum; vel certè dici debet, quòd cum his quoad ordines suscipiendos dispensari possit ab Episcopo, & Capitulo; sicut ab ipso *Trident. sess. 7. c. 12. de refor.* conceditur Episcopis potestas circa ordinem Presbyteratus suscipiendam, dispensandi in beneficiis curatis, studiorum causâ. Quintò denique circa promovendos ad alia simplicia inferiora beneficia, quosnam ordines habere debeant, nihil quidem de jure communi statuitur, sæpe tamen ex fundatione, statuto particulari, aut consuetudine, de certo quodam ordine sacro requisito desumitur aliquid.



## §. VI.

An, & quâ ratione possit Episcopus Clericos sibi subiectos compellere ad suscipiendos ordines beneficiis suis annexos, vel non annexos?

EOS, qui beneficia obtinent (de quibus solis hæc sermo est) ad ordines beneficiis suis annexos suscipiendos, compelli possunt ab Episcopo, tradit glossa, communiter recepta, in *c. licet 14. V. privatus de elect. in 6.* ita ut ipso jure privatus sit suo beneficio, sine monitione alia intercedente, qui intra tempus à jure concessam non promotus fuerit, ad ordinem requisitum, si nullum impedimentum, quod sine propriâ culpâ contraxit, aut rationabilis causa obstet, juxta citatum *c. licet.* Quin etiam, quamvis nullus certus ordo beneficio annexus sit, quo in casu (cæteris paribus) compelli non possunt ad ordines sacros suscipiendos beneficiati, si tamen utilitas magna aut necessitas Ecclesiæ urgeat, ob magnam. v. g. ministrorum penuriam, compelli poterunt ab Episcopo ad ordines suscipiendos, uti habeatur in *c. quaris 2. h. t.* ita ut super occulto crimine aut irregularitate (exceptâ homicidii irregularitate) actâ pœnitentiâ, & impetratâ ab Episcopo dispensatione sub pœna privationis beneficii ordinari debeant.

## §. VII.

De duobus impedimentis dubiis, uno recipiendi sacros ordines, altero obtinendi Prælaturam.

Vide de his, quæ non tantum ad hunc titulum faciunt, *c. ad aures 7. & c. intelleximus 12. h. t.*